

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. I. De homine eiusque natura & actionibus generatim agens.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622



CAP. I.

De homine eiusque natura & actionibus
generatim agens.

§. I.

Corporis humani partes, earum structu-
ram, positum, figuram atque conne-
xionem scientia illud artificiose dissecandi,
Anatome, at naturam, cum actionibus inde
fluentibus, Physiologia docent. Cum hæc
fine illa manca sit; anatomicam cuiuslibet
partis eamque brevem quidem, at sufficien-
tem, descriptionem primum dabo, atque
dein ad eius vim naturalem & actiones tran-
sibo, & quidem, quantum fieri potest, eo-
dem ordine, quem natura, dum aliæ ex
aliis fluunt, observat.

*Anatomia
& Phy-
siol. diffe-
rentia.*

§. II.

Ex corpore organico, vivo, & mente
rationali, quæ actionibus suis inter se con-
spirant, homo constat. Mentis essentiam
concipere atque declarare non possumus,
eius autem naturam vi cogitandi absolvi, ex
actionibus eius intelligere licet.

*Essentia
hominis.*

A

§. III.

*Corporis
materia.*

Ex materia saponaceæ quodammodo simili, seu ex particulis pinguibus, falsis, aqueis atque terreis corpus nostrum mixtum atque structum est. Reliquarum vinculum sales constituunt. Mixtionem hanc ex partibus admodum heterogeneis conflata, &, nisi corpus motu exerceatur, corruptioni facile obnoxiam esse, nemo non videt. *Hippocrates* libr. i. de diæta, generari, inquit, idem est, quod commisceri: perire, corrumpi ac minui, idem est, quod fecerni.

§. III.

Eius forma.

Partium coëxistendi modo corporis nostri forma absolvitur, scilicet ut mixtum & structum mechanico-vivum coëxistunt; quibus cognoscendis atque diiudicandis Chymia atque Anatomia inserviunt. Quoniam vero corporis nostri machinam plures partes organicæ efformant; pro maxime composita merito habetur: In illo enim fibræ, membranæ, canales, tegumenta, fulcimenta, hypomochlia, cunei, vectes, cochleæ, funes, folles, cribra, filtra, alvei, receptacula &c. reperiuntur. Ad vitam & sanitatem nostram conservandam machinulæ hæ ad unam omnes conspirant. Cum fere tota corporis humani compages vaculosa sit, per quam varii generis fluida circulantur; ad machinæ hydraulicæ naturam accedit. *Hippocrates* libr. de locis in homine §. III. Si

quis, inquit, minimam corporis partem male afficere velit; totum corpus affectionem sentiet, qualiscunque tandem ea fuerit: propterea quod minima pars corporis omnia habet, quaecunque & maxima.

§. V.

Quædam corporis nostri partes tam le- *Partes*
viter cohærent, ut lenissima vi inter se se- *fluida.*
parari queant, & solo suo pondere a se in-
vicem recedant. Sphærica figura gaudere
videntur, & motui in receptaculis ac vasis
suis facile obtemperant. Fluidarum, vel
contentarum, nomine veniunt. Chymus,
bilis, liquor pancreaticus, gastricus, inte-
stinalis, chylus, sanguis, lac, serum, saliva,
liquor pericardii, synovia, lympa, liquor
prostaticus, semen, fluidum nerveum, mu-
cus, lacrymæ, cerumen aurium, materia
perspirabilis, lotium huc referuntur. Hæ
partim ad varios in corpore usus v. c. ad
partium solidarum structuram ac nutritio-
nem, viresque restaurandas, impenduntur,
partim vero ad humores excrementitios
pertinent. Vid. *Raym. Vieusæni* tr. de li-
quoribus corporis humani, Tolosæ 1715.
Jo. Gastonis exercitatio de præcipuis hu-
moribus, qui humano in corpore reperiun-
tur, deque eorum historia, qualitatibus &
officiis. Venet. 1735, 8. *Josephi del Papa*
exercitatio de præcipuis humoribus, qui in
corpore humano reperiuntur, de eorum
historia & officiis. Florentiæ 1733. 4.

§. VI.

Partes solidæ.

Aliarum partium particulæ tanto nifu cohærent, ut non, nisi vi maiori adhibita, a se invicem divelli queant. Hæ loco stabili positæ, & cum partibus vicinis varia ratione firmiter connexæ sunt. Partes solidæ vel continentes nominantur, & in similes, quo fibræ proprie pertinent, ac dissimiles dividuntur. In harum censum membranæ, ligamenta, vaginæ, arteriæ, v-næ, vasa serosa, lymphatica, nervi, muscoli, tendines, glandulæ, viscera, cartilagine, ossa, ungues & pili veniunt. Prout earum partes vi minori vel maiori, cohærent, ita ut corpori prementi cedant, extendi flectique possint, vel minus, in molles & duras dividuntur. Ad has cartilagine, ossa & ungues pertinent. De singulis suo loco dicam.

Schol. Quidquid solidi in membranis atque musculis est, ad humores in eorum cellulis atque vasculis contentos minorem quantitatis relationem habet; his enim consumtis, illud ad exiguum modum reduci, videmus.

§. VII.

Corporis natura.

Materia & forma animali propria corporis nostri essentia absolvitur, ex qua vires eius, sufficientes omnium actionum rationem continentes, fluunt. Omnium autem virium nostrarum complexum naturam nostram dicimus, & quidquid his perferri potest, illud nobis naturale est. Teste

Aretæo de sign. & causf. morb. acuf. l. II. c. VII. natura robusta & probe temperata omnia superat, ac per humorem ac spiritum & solida, horumque omnium convenientem ordinem & modum, hominis vitam administrat. Corpus etiam, propter materiam, motui resistit, & in hac potentia eius passiva, seu vis inertiae latet. Vid. *Dn. Frid. Bervn. Albini* libellus de natura hominis, Lugd. Bat. MDCCLXXV.

Schol. Teste *Hippocrate* lib. de locis in homine, natura corporis hum. omnis ratiocinationis & sermonis in medicina principium est. De partium consensu *idem*, in libro de alimentis, inquit, confluxus unus, conspiratio una, consentientia omnia sunt.

§. VIII.

Actio est mutatio ex vi nostra fluens. *Actiones.*
 Licet omnes nostræ actiones, proprie loquendo, nobis naturales sint; a Medicis tamen in *vitales*, *naturales* atque *animales* vulgo dividi solent. Istæ a vi vitali effectæ, partium ad cohesionem nisum, humorum circuitum ac respirationem complectuntur, atque a vita inseparabiles sunt. Illæ naturæ conservationi inservientes, & a vi secernente proficiscentes, secretionibus, nutritione atque excretionibus absolvuntur. Hæ a vi sentiente pendent, atque animalibus propriæ, quasvis mentis operationes v. c. sensationes, imaginationem, memoriam, intellectum, rationem, ingenium, iudicium discretivum, atque motus voluntarios

sub se comprehendunt, illa vero organa, quæ propter structuram suam valde irritabilia sunt & perpetuo stimulantur, in perpetua actione constituta sunt.

Schol. Ex sexus actionibus quartam actionum speciem nonnulli formant, sed sub animalibus illas comprehendere posse, arbitror.

§. VIII.

Vita.

Vita nostra est ille status, in quo mentem inter & corpus coniunctio animalis, adeoque essentia & natura humana perdurant: Quousque enim naturalis partium solidarum nostrarum cohesio & vis, humorum naturalis mixtio & circuitus atque respiratio continuantur, tam diu nos superstites esse, inter omnes constat. Vid. *Frid. Hoffmanni* diss. de vita animali, Halæ Magd. MDCCXXXI.

§. X.

Sanitas.

Vita perfecta, seu essentiæ atque naturæ nostræ integritate, sanitas absolvitur. Hanc eam corporis temperationem, cum ea congruunt, ex quibus constamus, *M. T. Cicero* quæst. Tuscul. L. IV. recte nominavit. A *Dn. Rich. Mead.* in introd. ad monita & præcepta med. p. VI. motiones humorum ad normam peractas, cum apto solidorum statu, sanitatem efficere, commode asseruit.

§. XI.

Tractationis ordo.

Cum ab actionibus naturalibus corporis nostri nutritio, viriumque nostrarum fu-

stentatio pendeant; earum primo, dein naturali ordine reliquarum rationem habiturus sum, præmissa vel adposita quolibet loco succincta accurataque organi, actionem aliquam præstantis, descriptione; nisi sub genere suo iam descriptum sit.

CAP. II.

De masticatione, deglutitione, digestionem, atque organis eas perficientibus.

§. I.

Alimentorum, vel cibi potusque, desiderium appetitus, & distinctis nominibus *fames* atque *sitis* nominatur. Secretionibus atque excretionibus, a pastu potusque, rite peractis, & humoribus alimentariis imminutis, ac quodammodo alteratis, appetitus naturaliter redit, cuius finis *satietas* est, quam consecuti, optima etiam fercula potusque fastidimus, atque a nociva ingluvie prudenter abstinemus. In lingua, faucibus, œsophago atque ventriculo *sitis*, atque etiam in hoc *famis* sedes est; quando scilicet, ob excretionem peractas, humorum spissitudinem, largiorem ciborum siccorum, vel salforum, esum, potulentorum defectum, sales dicta loca stimulant, atque in illis, ob alibilium humorum defectum, sensus ingratus percipitur.

Appetitus.